



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

Caput Decimum. De Prima Disputatione in negotio religionis habita, deque
ejusdem exitu.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

In quorum vestigia Ebion, Cerinthus & Manes ingressi aliquid de divinitate attributum evertere conati sunt. his deinde Marcion successit, qui veram incarnationem Filii Dei negavit, & quantumvis reciperet S. Lucæ Evangelium, omnia tamen loca verum corpus altuentia in Christo, per Galuinianum interpretamentum, id est, figura Corporis corrumpere molitus fuit, uti ex Refutatore eiusdem Tertulliano legenti constabit. Successit deinde Arius, qui verum Hominem confessus divinitæ essentiam naturam in Christo negavit, nempe homœusion volens inducere pro Catholico homœosio. Successit illi Euryches, qui utramque naturam in Christo confessus, utramque confudit, & mixtum effecit, sed cum Ecclesia hosce hostes iam vioceret proprietates naturæ utriusque in Christo aggressi sunt oppugnare increduli tunc & una voluntas Christi, & eius operatio, & passio, & mors multis modis in disquisitionem vulgi protracta fuit, donec ad ipsum quoque Spiritum S. devoluta est procella opinantium, & illius vel divinitas vel à patre filioque processio cepit in dubium vocari per Græcos. Post hanc quoque sectam succumbentem, de Ecclesia articulus cepit conuelli, nempe caput Oecumenicum Papa Romanus & pars opt. Ecclesiæ Sæcti & cultus Sanctorum & his dicatarum imaginum usus, de quibus cum acriter esset concertatum. Sanctorum communio, & quidem Augustissima illa cum Christo per Eucharistiam à Berengario in Gallia cepit everti, & contra à recte credentibus firmari. donec Lutherus sequentem articulum, nimirum Remissionem peccatorum aggressus eumque in nihilum redigere laboravit, suoque errore omnes veteres in theatrum reduxit, tanquam immèdiatus Antichristi præcursor homo peccati quæ enim alia pars de Symbolo restat oppugnanda, bestia illi deterrimæ ultimæ, quæ *carnis resurrectio*, quam tamen aduersus ipsam Enoch, & Elias, non solum verbis sed & experimento resurrectionis suæ probabunt & verissimè & sanctissime ab Ecclesia semper creditam fuisse.

DE PRIMA DISPUTATIONE

In negotio religionis habita, deque eiusdem exitu.

CAPUT X.

ARGUMENTVM.

I. *Quæ noua, hominibus grata: & quomodo Lutherus mundum deceptoris atque inescaris.*

- II. *Lutherus, nomen suum ubique celebrari animadvertens, cristas multo altius tollit, & incredibili arrogantia inflatur.*
- III. *Inter Eccium & Carolstadium, Georgii Saxonie Ducis operâ, disputatio instituitur.*
- IV. *Carolstadio Lutherus se adiungit, & disputandi prouinciam in se recipit.*
- V. *Incipit à S. Sedis auctoritate.*
- VI. *Lutheri in hac disputatione inconstantia.*

Quæ noua, grata sunt & accepta, vulgo præferim, in quo non est consilium, non ratio, non discrimen, non diligentia, Faciles omnibus noui aliquid afferentibus aures præber, noua seclatur, noua amplectitur; nec quidquam nisi præsentia respicit. Id in Lutheri hæresi apparuit, quam plures præcipiti quodam iudicio, aut potius temerariâ credulitate amplexi sunt, Lutherum videre, audire gestientes. Ex quo factum est, ut paulatim Dei in terris Vicarius, eiusque statuta & leges in contemptum apud ipsos venerint. Lutherus interea scriptis ad Imperatorem, Reges, Principes, non Germaniæ tantum, sed vniuersæ Christianæ Reipublicæ litteris, variè eorum animos versabat, his adulando (ut in litteris ad Sabaudia Ducem apparet) illam tamquam Prophetia & Dei legatus, diuinam iram interminando. Pronis auribus accipiebatur, quod nihil nisi Reformationem spectare aut poscere se dicebat, protestans cetera integra & illa sibi fore: ut quorum monasterio adhuc se contineret, ad diuinum Officium frequenter celebraret. Atque ô vrinam his ille se limitibus continuisset, non autem domum Dei (quam sordibus ministrorum negligentia fortè infectam, purgandam susceperat) tamquam alter Herostatus succendisset. Hoc tamen ne faceret, multa adhibita sunt etiam Anno sequenti 1529. remedia. Sed & ipsi Luthero etiam indices suggererentur occasiones maiori & noua proteruitatendi in ruinam grauiorem. Occasiones profundius decidendi fuere. primo in Heluetia exurgens motus duce Zvvinglio qui primo Ian. primam cõcionem seditiosam habuit, quo die Tiguri monstrum Hermaphroditi natum est, aptum omen hæresis nascituræ. 2. Maximiliani Imp. mors 12. Ian. 3. Importunus concursus profectiois indictæ Lutheri confluentiam Rheni in Archiepiscopatu Treuirensi, & disputatio ab eo habenda Lipsiæ, & his similia, nam superiore anno Ioannes Eckius & Lutherus Augustæ Octobri

mense

menſe congreſſi, ad tollenda ſcriptionum polemica-
rum ſcandala, diſputationem, publicam in huius
anni Iunium Lipſiæ habendam condixerant, &
Carolus Militius Roma in Saxoniam profectus
hoc Anno cum Luthero conuulſat, contenerat-
que, Altebutgi, ut Lutherus, datis humilibus ad
Papam litteris cauſam cenſuræ eius ſubijceret
(quod & 3 Maij fecit, magnificè commendata Ro-
mana Eccleſia) & dum cauſa ab aliquo Germaniæ
Epiſcopo, veluti Treuitenſi, cognofceretur, ſilen-
tium partes tenerent. Cum igitur improvide Mi-
litius Conſuetudinem profectus, Lutherum eodem
ad Treuitenſem Epiſc. euocat, improvide diſpu-
tatio imminens euocati profectioem, & omnem
deinceps Militij actionem & ſpem abruptit.

II. Ad Lutherum interea ſcholæſtica iuuentus
certatim accurrebat, & verſibus aliſque encomijs
tamquam alterum Herculem ad cælum uſque ef-
ferrebat: ſic ut breui nomen eius per totum terra-
rum orbem celebraretur. Præſertim cum Braſmus
Roterodamus hoc ipſo tempore pro Luthero de-
diſſet epiſtolam ad Fridericum Elect. Saxoniz de-
clamatoriam tanquam cui lis mouentur ob Lati-
nitatem & linguarum peritiam, conſeſſus libros
Lutheri ab optimis legi, etſi à ſe non ſint adhuc
lecti. Tam fama tantæ rei omnium animos mira
exſpectatione ſuſpenſos tenebat:

*Fama, malum quo non aliud velocius ullum.
Mobilitate viget, viresque acquirit eundo;
Tam ſicti prauique tenax, quam nuncia veri
Hæc tum multiplici populos ſermone replebat
Gaudens, & pariter facta atque infecta canebat.*

Æquid animi Luthero fuiſſe putatis, vbi vidit ſe
tamquam Demotheum olim. — digito paſſim
monſtrari, & dicier, Hic eſt: — vbi Romam non
aliter quam cælum Iouis nutu, nominis ſui fama
quafi ſedibus emoram, nec minus ipſius metu quã
ſi Hannibal ad portas eſſet, conſternatam animad-
uertit? Habet hoc vitium natura noſtra, ut adula-
tionem amet, ſuiſque laudibus turgelcat, & maiora
quam capere poſſit præſumat. Sic Lutherus ſu-
perbia, certiffima animarum peſte, elatus, tantos
ſpiritus ſibi ſumpſerat, ut ſe pro diuino vate, & ver-
ba ſua pro oraculis habenda eſſe exiſtimaret. *Nomen
meum, ait in epiſtola ad Ducem Brunſuicenſem,
tum celebrari cepit, adeo ut nullus opponere ſe
auderet. Quæ licet exigua gloria valde mihi placebat.
Quinetiam paucis ad ſe aditum dabat: ſic ut Ca-*

rolo Militio Papæ Nuncio ægre, & quidem ipſius
Ducis interceſſione, bis videndi ipſius acque allo-
quendi potestas facta ſit: de quo ipſe Lutherus
poſtea ſæpe eſt gloriatus. Tum ille Apoſtolus, tũ
Euangelista audire, & cum Spiritu S. de reſormanda
Eccleſia, ac tota Chriſtiana Republica firmiori-
bus tibiſcinibus ſtabilinda conſultare videri vo-
luit. *Oculos tuos, aiebat, o Germania, ad me conuer-
te: ad quam ſaluandam ego miſſus ſum. Accede ad me,
chariſſima mea patria, & aperi aures Euangelio, quod
hæcenus numquam audiuiſti* Sic quintus hic Euan-
gelista loquebatur, ſuperbia & ambitione infla-
tus. Sed cedo Martine, vbi ſunt diuina miſſio-
nis tuæ teſtimonia? vbi Prophetiæ? Vis dicam?
Illiæ ſunt, quæ *Attendere, nos iubent (a) à falſis
Prophetis, qui ad nos venturi ſint in veſtimentis oui-
um, intus autem ſunt lupi rapaces. Hæretici, ut re-
cte Bernardus ait, (b) ſpecie oues ſunt, ſeritate lupi,
aſtutia vulpes.* Porro diſputationis Lipſienſis hæc
fere ſeries fuiſſe repetitur.

III. Dum Lutherus noui Apoſtoli perſonam
indutus Wittebergæ omnia miſcet; Archidiaconus
quidam eiufdem ciuitatis, Carolſtadius nomi-
nate, eandem religionem publice profiteri cœ-
pit. Hic ex Eccleſiaſticorum ordine primus de-
ſertis Eccleſiæ vexillis, ad Lutheri caſtra trans-
fugit. Sed de furioſo hoc homine, & noua Se-
ctæ, ab eo multum indignitate Luthero, ad magi-
ſtri ſui ruinam procuſa, libro II. fuſius dicitur.
Hic quum in ſcripta quædam Ioannis Eccij In-
golſtadienſis Canonici contra Lutherum incidif-
ſet, refutanda ea, ac Lutheri ſui, quem Doctorem,
SS. Theologiæ creauerat, exiſtimationem defen-
dendam ſibi ſumpſit ediditque aduerſus Eckium
libellum atro maledicentiæ felle ſcriptum. cui
cum Eckius modeſtam reſponſionem oppoſu-
iſſet, ad Iudicium ſedis Apoſtolicæ, vel alterius
Vniuerſitatis prouocando, Carolſtadius non mi-
nus amarum obiecit. Itaque re tandem eo dedu-
cta, ut Colloquio dies & locus, Lipſia nimi-
rum, ſit designatus. Erat tum ciuitas hæc ſub di-
tione Georgij Saxoniz Ducis, cuius frater Fride-
ricus, vti ex ſuperioribus intelligi poteſt, Lu-
theri patrocinium ſuſceperat. Colloquio huic
acriter ſeſe oppoſuit Lipſienſis Epiſcopus, non
ignarus eiufmodi concertationibus hæreſes non
modo non retundi, verum etiam excacui & no-
vis opinionibus viam aperiri. Quemadmodum

a Matth. 7. b Ser. 66. in Cant.

enim è nubium collisione non fulgura tantum & tonitrua existunt, verum etiam fulmina obvia quæque proterentia exsiliunt: sic è disputationibus cum Luthero eiusque complicitibus habitis contentionis ignis multo magis exarsit, adeoque Ecclesiam multo sædius est depopularus. Sic igitur repudiato prudenti Episcopi consilio, Georgio Duce assentiente, locus & dies ad disputandũ fuit conditus. Ego sic sentio: quando hæresis alicubi invaluit, aut ab ipso Principe toleratur aut etiam asseritur, disputationes eiusmodi valde esse utiles, uti sæpè in Gallia nostra vidimus, ut quibus hæreticorum fraus detegi commodè, ipsiusque hæreseos impetus seu cursus quodammodo sisti potest. At pati ut modo ex inferis emergens hæresis in publicam lucem producat, & coram iis, præsertim quibus his de rebus iudicandi munus à Deo non est demandatum, causam suam agere & tueri ausit, id sanè perquam periculosum mihi videtur.

VI. Fama hujus disputationis institutæ per vulgata, magna omnium animos expectatione accendit, Luthero tum Carolstadii sui doctrinam ad cælos usque efferente, quem postea ad inferos usque depressit, ac nihil non sibi arrogante, de cuius stulticia & nugis tantos viros inter se depugnantes videbat. Ad diem compromissum Eckius solus adfuit; ut & Carolstadius, sed hic magnum comitatum, & plaustra libris onusta secum trahens. Adduxerat inter alios Lutherus, cuius causa præcipue agebatur, Philippum Melancthonem Philosophum & Grammaticum, qui tum Græcas litteras Vitebergæ profitebatur; eumque velut triarium in subsidio collocarat. Idem Lutherus Carolstadium obsecrabat, ut provinciam hanc disputaodi sibi relinqueret, indignum esse aiens, ut tantæ dignitatis (erat enim Archidiaconus) & doctrinæ vir cum vili & obscuro homine congregaretur. E contra Carolstadius rogabat, ut omnium qui toto terrarum orbe essent doctissimi ac primarii viri Propositiones defendendi honos sibi deferretur. Sic duo illi ardentes tamquam muli mutud scatebant; & miserum Eckium risui & ludibrio habebant. *Leo hic, scribit Lutherus ante congressum, iam mortuus & in arena prostratus iacet: epinicion ante victoriam canens.* Disputationem hanc in sua arce Dux haberi voluit: cui ipse una cum Consiliariis suis & Academicis quotidie interfuit. Ab initio uterque Agonistarum protestatus fuerat, à

fide & religione Catholica non discessuros, & præcipuarum Universitatum iudicio sese submituros. Utrumque constituti sunt Notarii, qui argumenta & responsiones exciperent, & fideliter omnia in scripta redigerent. Primum disputationis caput fuit de Libero Arbitrio: inde alia quædam per decem dies ventilata sunt. Lutherus primo statim die animadvertit Leoni huic nequaquam mortuo, sed acutissimis dentibus & unguibus instructo, barbam vellere non ita facile esse. Quare anxius valde, & sudore æstuans quod Carolstadium suum tam male acceptum & tractatum videret, certamini continuando sese obtulit. Nec detrectabat Eckius Consiliarii Ducis è colore, vultu aliisque gestibus quibus ille cucullo caput nudans, audientiam petierat, interioribus hominis motibus cognitis, eum rogarent ut modestia in disputando uteretur. Sed vicit hominem iracundia, eique verba illa toties postea ipsi exprobrata expressit: *Neque in nomine Dei captam esse eam disputationem, neque in Dei nomine finitum iri.* Testantur hoc quotquot ei Colloquio interfuerunt, eiusque Acta conscripserunt. Lutherus ad se paulum rediens, idem quod Carolstadius protestatus est, itidem de dogmatibus suis iudicio Theologis Erfordensibus & Patiensibus delato: illorum benevolentia confusus, ut à quibus prima ipsius adolescentia litteris erat imbuta; hos vero, quanto à S. Sede ob suppressam Pragmaticam Sanctionem alienior erant animo, tanto æquiores sibi fore confidens.

Quemadmodum vero ij, qui quocumque tempore ab Ecclesiæ unitate discesserunt, rebellionem suam ab oppugnatione supremi Episcopi & Pontificis Romani auspiciati sunt, ut I. Cap. libri mei De Antichristo demonstravi (à Mercurio quippe, credo, didicerant, centoculum illum & vigilantem Argum occidendum esse, (a) ut Jo abduci possit: vel potius è S. Scriptura, ubi dicitur, (b) Pastore percusso, oves dispergi) sic eandem viam ingressus Lutherus, ad hunc fundamentalem lapidem convellendam, primum arctem admovit, ut eo secundum apparentem in vulgi opinione speciem è moto (quia se ipsa emoveri non potest) universum Ecclesiæ ædificium dissolveret ac prosterneret. Sed frustra corvus aquilæ obstrepit. Nôrat ille capite hoc decusso, reliquum

G

a lib. 1. metamorphos. b Zachar. 13. 7. Matth. 26. 31. &c.

corpus, tamquã ingentem colossum subruo fundamento, vnã repente corruiturum. Hæc rebellionis Lutheranae fuere rudimenta. Schisma D. Thomas sic definit: (a) *Essẽ scilicet singularem & contumacem separationem ab unitate Ecclesiæ, eo quod quis Caput eius, qui est Papa Romanus, agnoscere nolit.* Ad huius igitur potestatem, quam toties antea confessus fuerat, oppugnandam Lutherus pleraque argumenta sua direxit, nihil dubitans hoc modo ordinem quo Ecclesiã mirabiliter & pulcherrime inter se aprata est & colligata, perturbatum adeoque sublatum iri: ordinem, inquam, qui sine capite hoc subsistere non potest. Caput hoc tolle, ordinem quoque sustuleris; tolle ordinem, animam vpa Ecclesiæ, vires & essentiam quoque tolles. Sic Nestorius, Manes, Dioscorus & alij fecerunt. Hinc recte S. Cyprianus. (b) *Neque enim aliunde, inquit, hæreses oborta sunt, aut nata sunt schismata, quam inde quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesiã ad tempus sacerdos, & ad tempus iudex vice Christi cogitatur. Cui si secundum magisteria diuina obtemperaret fraternitas vniuersa; nemo aduersum Sacerdotum collegium quicquam moueret: nemo post diuinum iudicium, post populi suffragium, post cõpiscoporum consensum iudicem se iam non episcopi, sed Dei faceret; nemo dissidio unitatis Christi Ecclesiã scinderet; nemo sibi placens ac iudicem, seorsum fors nouam hæresim conderet. Sed quemadmodum fluctus scopulis illi franguntur potius quam frangunt: sic quoque per am hanc fundamentalem oppugnantur, inuicta eius duritie fracti & quasi in spumam versi euaneunt.*

VI. Quamuis autem Lutherus caput hoc de summi Pontificis potestate magna contentione & vehementia discuteret, ita tamen ambigua utebatur interpretatione, vt vna manu destruere, altera & edificare videretur. Atque hoc eo, quod auctor schismatis, vt ipse dictitabat, esse nollet. Ab Eccio vero Bohemorum fautor & protector appellatus, vt quorum errores iam olim à Constantiensi Concilio damnatos sequeretur & defenderet: *Mentiris, inquit, pro solita sua modestia, Hussita numquam fui: quos tamquam hæreticos damno, vt qui propria auctoritate se ab Ecclesiã separarunt.* Verum enim uero constat ex omnium eorum qui Colloquij huius Acta conscripserunt testimonijs Lutherum supremam Romanæ Sedis auctoritatem agnouisse tandem, aperteque professum esse, hanc tamquam omnium Ecclesiarum

matrem agnoscentem esse. Quin idem narrat Georgium Principem, apprehenso vna manu Eccio, & Luthero altera, vt finem ipsorum De Pontificis primatu concertationi imponeret, sic vt tumque compellasse: *Quid illud tanta contentione discutitis, vtrum Papa diuino aut humano iure supremum sit Ecclesiã in terris caput, quum ipse sit supremus Christianorum Pontifex, semperque sit futurus? Hic solus est, in quem Deus omnem potestatem contulit, vt ea deinde in plurium dominationem diffunderetur. Si ne hoc enim velut sacrosanctum nullus Episcoporum alteri cederet, & confusione acturbis omnia miserentur: adeoque in Ecclesiã non ordo, qui in ea pulcherrimus & convenientissimus esse debet, sed mera anarchia futura esset.* Hic Lutherus obmutuit, non sine magna assidentium admiratione, quod illum non solum in hoc articulo, etsi nondum, vt debebat, discussio, sed alijs etiam, ac præfertim illo qui est de Purgatorio, quem ille Papalem ollam seu culmam prius appellarat, contra primas suas Propositiones multa remittere viderent & audirent. Credo, inquit, atque adeo dicere audeo Purgatorium esse: & cum S. Gregorio dico, eius mentionem fieri xii. capite Euangelij S. Matthæi, & lib. ii. Machab. cap. xii. Sic vt sæpe intra Ecclesiã septa se recepisse videretur; quæ tamen mox iterum tamquam erratica & ferrox bestia perfregit, ruptisque reuagulis, quacumque carnales eum trahebant cupiditates, ferebatur tantopere desiderata libertate seu viuendi licentia tandem peritus.

QVOMODO LUTHERVS EXCOMMUNICATUS FUERIT: & quod desperatione eum adegerit.

CAPUT XI.

ARGUMENTUM.

- I. Georgius Saxonia Dux iam dicta disputatione in Catholica Religione valde confirmatur.
- II. Lutherus ad Papam scribit. Leonis in reprimenda hæresi conatus, & Pontificij Legati error.
- III. Consuetudo & ceremonia Ecclesiastica excommunicationis.
- IV. Lutherus excommunicatus, ad desperationem redigitur.

V. Lu-

a 2. 2. q. 35. Ars. 1. b ep. 55.